

offenlich: wir leyden pillich dicz vbel vnd verdamnußs, wann ob vnser orden nicht gemynert wär, den tod, den vnns die cristen an legent, den biet wir allen cristen pfaffen vnd laijen geistlichen vnd weltlichen getan. &c.

VIII. fol. 147. *All bie ist mit fleißs ze mericken, wie kunig Salomon lernt alle herrn kunig Herzigen vnd ander herrn die gebalt vber ander leüt haben, Got furichten schullen, ob sy ebiglich nicht verdampnet wellen sein.* Commentatio in Sap. C. I. v. 1. *Diligite iustitiam &c. et alia Salomonis Effata βασιλικα, quae tamen potissimum sensu mystico exponuntur.*

IX. fol. 169. p. 2. *Expositio initii Evangelii Johannis. Recitatur usque ad v. 15. dein sequitur Glossa hoc modo: Die andern ebangelisten schreiben, das vnser Herr geporn sey in der Zeit &c. Succedit eadem ratione, quod a Matthaeo et Luca de Generatione humana et primordiis Servatoris traditur cum Expositione, quae tamen in putidas fabellas de itinere Virginis cum Joseph in Bethlehem, et de Mulierum Salome et Zeloney in Partu praesentia abit, e quo nescio Pseudevangelio haustas. Sub finem trium Regum sive Magorum Nomina hebraice dicuntur *Apdius, Ameter, Danister*, graece *Galgalach, Sagalach, Sorat*, latine *Caspar, Baltbaser, Melichior*.*

X. fol. 185. finem Codici facit *Traetatus grammaticus de VIII. Partibus Orationis ἐρωτηματικως procedens, latino germanicus in hunc modum: Partes Die tail, o-*

*rationis der red, quot wie vil, sunt sein? Ocho acht. Que welche? Nomen Der nam. pronomen der für nam. verbum das wort. adverbium das zue bort. participium die tailnembung. coniunctio die zamfuegung. propositio die fürseczung. interiectio die vnterwerfung. Quam parum in ejusmodi schola profecerit Scriptor, docet claufula miniata: dominus Ortolfsum de Trenbach est iste Liber. Nomen istud jam notavi supra N. II. Meminit Stirpis hujus olim per *Bavariam, Austriamque* celebris *Bucellinus Stematogr. P. III. Vol. 2. p. 190.* Codicem diutius in ejus possessione fuisse, docet Theca anterior, cui inscriptum: *Dominus Thomas de Trenwach Miles*, adpicta etiam Insignia cum Lemma: *Gott Vermags*; praeterea *Gladus* cingulo suo obvolutus cum addito: *Zipern diuis*, cujus sensum adsequetur me acutior. Utriusque hujus Viri meminit *Bucell. citat. cumque Thomae annum 1446.* emortualem statuatur, Codicem mature scriptum fuisse oportet.*

## CCLII.

Codex membraneus lat. Sec. U. 66 XIII. Folior. 97. 4. bene perscriptus, minioque distinctus, et cum tot aliis a. 1540. ab *Joh. Fabbro* Ep. *Vien.* condito a se Adolescentium studiosorum ad *D. Nicolaum* Collegio donatus, ut *Περγαμμη* typis excusum testatur, sequentia continet Opuscula: I. *De decem plagis egypti et de decem preceptis.* Genuinus de hoc argumento

mento *Sermo Augustini* extat Edit. *Opp. Maur.* T. V. col. 41. Spurii duo habentur in *Append. ejusd.* T. coll. 40. et 42. Atque his et *Origenis Homil. in Exod.* mascule usus est Noster, hoc discrimine, quod illi Plagam Praecepto, hic vero Praeceptum Plagae conferat, atque ita ordiatur: *Prima plagarum quibus dominus egyptum percussit, aqua fluminis uersa in sanguine fuit. Eleuauit aaron uirgam &c. Primum preceptum fuit de colendo uno deo &c.* In fine subiungit aliud Παγαλληλον Plagarum *Aegypti*, et Persecutionum ab Imperatoribus Rom. Ecclesiae primitivae illatarum, et alia Hermeneutica e PP. ad *Mosis* missionem in *Exodo* pertinentia. Ad initium manus fat vetusta adscripsit: *Eckebertus autor est; verum nemini Eckebertorum, Ecbertorum, Egbertorum* hujusmodi quid a Literatoribus tribui video.

II. fol. 10. Incipit tractatus quomodo dicatur deus habere caput et oculos et cetera membra. Initium: *Omnipotens deus pater et filius et spiritus sanctus unus atque trinus &c.* Ex *Eucherii Lugd. Formulis spiritual. Intelligentiae* maximam partem depromptus, legitur T. VIII. *Augustini append. col. 67.* paullo productior titulo *de Essentia Diuinitatis*, et T. XI. *Hieronymi Vallars. col. 138.* inscriptus: *De his, quae Deo in Scripturis sanctis attribuuntur, quin et Ambrosii, et Anselmi, et Bonaventurae* jam in Codicibus nomine insignis. In nostro adiectae sunt discussiones aliquae, videlicet:

*Primus homo immortalis factus est. Questio de originali peccato. Distat inter nostra et legalia sacramenta. De Corpore et Sanguine Domini cum locis PP. De Salomone subfabulosum. Quod omnes artes seruiunt diuinae paginae, simul cum quadam Introductione in sacrorum Librorum notitiam, ubi inter alia legas: Sunt autem quaedam apocrypha id est dubia uel priuata. Dubia quia eorum (Autorum) nomen ignoratur. Priuata quia non sunt recepta in fidei synagoga. Ut iudit. tobias. Ecclesiasticus. Liber sapientie salomonis. Ihesus filius syrac. Duo libri machabeorum.* Quo loco per fidelem Synagogam Canonem Hebraeorum, et per *Apocrypha* Deuterocanonica intelligere licet.

III. fol. 19. Incipit prologus in libro viatoris. Ita: *Nauigantibus hoc mari magno et regione presentis peregrinationis laborantibus contingit interdum non nullos eorum portum salutis attingere non nullos uero non portum tenere posse sed fluctuatione demergi &c.* Hac igitur inspectione commoti, pergit Autor, inter curiales nostras sollicitudines — hunc libellum edidimus. in quo diem presentis temporis totam ut possumus peragamus. ut noctescente in uespera. optata pacis tranquillitate dormiamus in domino &c. Sequitur Elenchus Capitum CCCI. quorum I. Qui sunt tres dies perfecti, et ult. *Anacephaleosis hoc est recapitulatio sacramentorum.* Operis titulus: *Incipit uiator presentis diei qui uoluitur instantibus mutabilitatis post crea-*

creationem et lapsum. Initium: Sacris conditionibus eruditi. et exercitio sedule cogitationis orthodoxorum uirorum sanctionibus edocti. tres dies esse pro futura insinuatione comperimus. quorum qui alios antecedit. a principio creaturarum initium sumpsit. ad consummationem mundi in uoce angeli per ignem obpandendam perduraturus. Secundus uero usque ad generale (sic) perducendus. tertius sine fine mansurus. Est enim prima dies presentis temporis. Secunda tumuli. Tercia eternitatis. &c. Atque in prima solum ficit Noster, officia ejus allegoriis undique e sacro textu etiam obtorto collo adtractis docens. Solicite more meo quaesitus operam lusit, neque aliud Operis ejus Exemplar in Catalogis *Mss.* reperi. Episcopum eum fuisse, aut Abbatem in cujusdam Principis aula distentum memoratae superius curiales sollicitudines inuunt. Opus ipsum, ad cujus calcem brevis *Expositio sancte Trinitatis* additur, fat mendose scriptum est.

## CCLIII.

U. 53 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 200. f. per duas columnas commode scriptus et rubricis distinctus I. hunc praefert Titulum: *Incipit prologus libri* (numerus extritus, qui debet esse VII.) *quo tractatur de uisionibus ymaginarijs et sompnijs.* Autor nullibi memoratur; est uero *Johannes* a Castello natali in *Tuscia* dictus *de S. Geminiano* Ord. Praed.

Scriptor Sec. XIV. et Autor *Summae de Exemplis et Rerum Similitudinibus* constantis Libris X. quorum praefens noster VII. est. Editiones integrae hujus *Summae* refert *Quetifus* T. I. *Scriptt. O. P.* p. 528. atque inter eas illam uetustam *f. l. et a.* quae nomen *F. Helvici Teutonici* praefert, quo se in *Prologo* occultare uoluit *Johannes*, ut uisum *Quetifo*, licet L. VI. c. 52. edit. *Venet. 1576.* 8. p. 249. prodat *terram originis suae, scilicet Castellum Sancti Geminiani, quod est in partibus Tusciae XV. milliariis distans a Civitate Senarum.* Prologi nostri peculiaris initium est: *Si quis fuerit inter vos Propheta Domini &c.* et finis Libri: *prospera per terram intelliguntur.* Librum hunc seorsim hic descriptum putem, quod *Somnia et Visiones biblicas* exponit, ideoque ad *sacram Hermeneuticam* pertinet.

II. fol. 38. absque omni vel Titulo, vel Autoris mentione incipit *Expositio Libri Job*, quae est *Hugonis a S. Caro* O. P. Card. qui Sec. XIII. *Postillas* in uniuersa Biblia elaboravit. In edit. *Lugd. 1645.* *Expositio* nostra habetur T. I. p. 396. abest tamen a *Codice Hugonis Prologus*, et initium ducitur a *Comment. in Prologum Hieronymi: Cogor. stimulis rationis. prou. XXVI. Responde stulto &c.* Extrema Operis sunt: *quibus omnes electi adiuuantur.* Atque his, ut feria ludo uertam, *Librarius* Tribus suae *Formulae* cumulatim adjecit: